



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Quibus Examinantur Praeliminaria  
Per quae Patres Societatis & alii conati fuerunt sese  
excusare ab exhibitione suarum Sententiarum, ad quam  
per contractum de Conferentia ineunda ...**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1685?]**

Epilogvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40598**

Vivimus etiamnum, quod toti mundo manifestum est, in communione cum SS. D. N. Innocentio XI. ad quem Facultas Theologica Lovaniensis nuper Deputatos suos (quorum unus Exim. Vir FRANCISCUS VAN VIANE) ablegavit eo successu, ut inter doctrinæ ejus Articulos, quos sponte S. Sedis examini subiecit, ne unus quidem post iteratam illorum discussionem sit proscriptus: Alterius verò partis ad Lovaniensem instantiam condemnati sint sexaginta & quinque.

Præter hæc, quod ad hanc rem maximè facit, doctrina de prædestinatione & gratiâ in Censura Lovaniensi tradita, judicata est posse teneri & doceri sine offensa S. Sedis. Post hæc Deputati nostri cum paterna benedictione à sua Sanctitate in pace sunt dimissi. In qua etiamnum manemus, & Deo dante æternum sumus mansuri.

Sumus etiam in communione cum Illustrissimo D. Archiepiscopo nostro Mechliniensi, cui doctrinæ nostræ Articulos libentissimè exhibuimus.

Forrò ut nos cum Archi-episcopo nostro, ita ille cum Pontifice Rom. communionem fovet: nec alio fine Illustrissimus noster Archiepiscopus voluit coram se institui Collationem super sententiis nos inter & Patres controversis, quam ut si ad concordiam ventum non fuisset, missis ad S. Sedem actis, ultima illinc exspectaretur decisio.

Ex quibus omnibus facilè est colligere, quod sicut nos cum Archiepiscopo nostro & Pontifice Romano communionem habemus; ita quoque habeamus cum illis, cum quibus illi, id est, cum omnibus Episcopis orbis Catholicæ.

Necessum proindè est, ut qui se separant à communione nostrâ, separant se etiam à communione Archiepiscopi nostri, Pontificis Romani, & omnium Episcoporum Ecclesiæ Catholicæ.

Et specialiter necessarium est, ut qui idèo à sua communione nos exclusos volunt, quia ad ipsorum petitionem nolumus præstare juramentum in tertio præliminari ab ipsis præscriptum, eodem titulo suum quoque Archiepiscopum, quia præliminare istud cum reliquis rei- ciendum statuit, à sua communione excludant. Maxime postquam dicti Patres Illustrissimo Domino nostro legem, cui non obedivit, posuere his verbis: *Hoc præstet Illustrissimus Archiepiscops, vosque eò deducat, ut solemni illâ Prefatione fidei discernatis vos &c.*

#### E P I L O G V S.

Primâ harum Thesum Conclusione scopum quatuor præliminarium per totidem §§. deteximus, ostendendo quodlibet illorum esse tale, ut, sive illis satisfactum fuerit, sive non, numquam eo venietur, ut quod nimium horrent Patres, tradant doctrinæ suæ Articulos.

Secundâ Conclusione ostendimus audaciam dictorum Patrum, qui sine ulla authoritate ordinaria aut delegata præsumperunt nobis in tertio suo præliminari imponere juramentum, veluti fidei professionem, quale Pontificum aut Episcoporum nullus ulli nationi haec tenus imposuit; falsò persuadentes hominibus imperitis, quod, eo præstito, pax erit & concordia: quandoquidem adhuc permanebunt disputationes summi momenti de regula morum, de scapo humanæ vitæ, & cuiuslibet actionis humanæ, item de administratione Sacramenti Pœnitentiae. Deinde per præliminare tertium cogunt nos per viam contentiosissimam intrare in quæstiones de gratia, ante diem judicij per nos non finiendas: atque inter hæc errore crassissimo aut fide pessima Theolgos Lovanienses de hæresi suspectos faciunt, quâ in re mire illis servit inventum suum de usu probabilium, suaque politica, uno tempore hos, alio istos, hic quosdam, alibi alios, nunc plures nunc pauciores de hæresi accusando. Idque per argumenta nullius ponderis; & in præsenti quidem eo titulo nos accusant, quia nolumus præstare antedictum juramentum, cum sine ulla causa justa à Patribus peratur, quo non obstante per Apologistam suum palam profitentur, se ultra nolle habere communiationem nobiscum, qui tamen cum Sede Apostolica, Archiepiscopo nostro, & omnibus Episcopis Catholicis communionem habemus & favemus.

Colligat hinc Lector quâ fide isti Patres pergent mundo persuadere, quod sincerè velint desideratam collationem instituere, modò illorum præliminaribus, & præcipue tertio, satis factum fuerit.

#### F I N I S.